



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Conclusio XLIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

hanc autem conclusionem cū duabus præcedentibus & sequentibus, nō ego primus aut solus, sed omnes & tota ecclesia tenet, nisi quod solus populus hæc nunquam audit, forte rimetur, ne nimis cito intelligeret, tam apertam & solitam ueritatem, nam & S. Bonauentur. & cæteri omnes, quādo in hac materia agentes sibi ipsi opponerent, ergo omittenda sunt reliqua bona opera. Respondent unanimiter, nequaquā. Quia cætera bona opera sunt meliora, quo ad præmium essentialē obtinendum. Pater ergo conclusio, cū hoc illi dicant, qui tamen afferunt indulgentias esse thesaurum meritorum Christi & ecclesiæ.

CONCLUSIO XLIII.

Quia pro opus charitatis, crescit charitas, & fit homo melior sed pro uenias nō fit melior, sed tantūmodo a pœna liberior;

PATET, Quia solum remissio pœnarū ibi datur, nec indulgentiæ plus ualent, ut etiam omnes concedunt, quā ut tollant pœnas. At ablatio pœnæ non facit bonū, siue meliorē in charitate.

CONCLUSIO XLV.

Docendi sunt Christiani, quod qui uidet egenum, & neglecto eo dat pro uenijs, non indulgentias papæ, sed indignationem dei sibi uendicat.

QUIA peruertit ordinē suprapositū, & contra id agit Ioan. Si quis uiderit fratrem suum necessitatem habere, & clauerit uiscera sua ab eo, quō manet in eo charitas dei? Hanc autē necessitatē nostri sophistæ interpretantur extremā, scilicet, ut charitati nunquā uel rarissime locū faciant operandi, cum tamen ipsi, si in necessitate essent non extrema, sed prima, uellent sese iuuari, alios uero uolunt iuuare, cum iam exhalarint spiritū, Optimi sane theologi & Christiani, qui faciāt hoc hominibus, quod sibi uellent fieri.

CONCLUSIO XLVI.

Docendi sunt Christiani, quod redemptio ueniarum est libera, non præcepta.

SATIS id supra dixi, quod ueniæ sunt de numero eorum, quæ licent, non autem eorum quæ expediunt, quomodo in uete. lege libellus repudiij, sacrificium Zelotypiæ. Et in noua. lege licites & iudicia propter infirmos, immo propter duritiā uestram,